



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Sigismundis Rex. 1. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

xerit, an Calo occiderit pulchrior. Ex Brev. Rom.

Nos quoque timore Domini Crucifixos oportet hic omnibus non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsius elementis mortuos esse; illuc habentes oculos animi nostra defixos, quod nos speramus momentis singulis mi- graturos. Cassian. l. 4. de Inst. Renunc. c. 35.

## S. SIGISMUNDUS REX. 1. Maii.

**Q** Voties noverca ex patre vitricum fecit! S. nè SIGISMUNDVM Burgundionum Regem eò artibus suis impulit, ut filium Sigericum, quasi patrem regno exuere cogitasset, vitâ ipse exueret. Verum aspersas filii crux manus tam multilavit lacrimis, ut quem sic pœniteret, pœnè innocens dici posset. Monitus tamen ab ignoto nescio quo sene, & suam potius vitam, quam filii (qui calo frueretur) mortem deflere justus, ad D. Maunium tumulum abiit, causamque illi commendavit; ageret hanc, ut suam olim apud Deum: adesse fatedem reum: supplicia precari, non deprecari: faveret nunc etiam pater Deus; modò olim judex parceret: quam pœnam tam nocens filius meruisse tum se monstrasse, cum innocentem occidere. Lacrimis non posse satis elui manus; sanguine posse, sed suo; huic fundendo jam se initium dedisse cum filii funderet: quem malè libasset, rectius litteraturum fese. Et verò damnatus voti est: bellum enim in annum D. XXVI. à Clodomiro Galorum Rege petitus, captusque, & capite plexus in puteum est abjectus. Sed tam ignobile sepulchrum pœnitentis illustrius cantu suo luminibusque cælum fecit; quin ægri magno numero morti jam proximi sanitatem inde suam haue- runt, itaque quam uni eripuit vitam, longè pluri-

2. Maii.  
mis S.  
As-  
consti-  
stis co-  
tentis  
  
N  
lescer  
deine  
Diffi-  
Aria  
muli  
ab A  
alius  
ideo  
quit  
ipissi  
risui  
ATH  
gè il  
inca  
pore  
itaq  
lent  
mar  
ped  
siv  
ster  
pios  
stis  
rent  
long

Ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ: & constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, & sanguis anima confitentis per lacrimas profluat. S. Aug. in libro 50. Hom.

S. ATHANASIUS EP. 2. Maii.

Non raro pueritia toti vitæ præludit. Ita ATHANASIVS Alexandriæ inter lusus adolescentiæ puer à pueris in Episcopum lectus, natu deinde grandior ab ipsomet cælo est confirmatus. Difficile est dictu, quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit. Producta in medium concilium muliercula, vim pudori suo illatam mentiebatur ab ATHANASIO, quem ne noverat quidem. Hic alius non nemo suppetias latus innocentia, ideoque ATHANASIVM sese assimulans; heus, inquit, ego ne vitium tibi feci? mox illa: tu vero ipissimus. Ita cùm & se & impietatem omnium risui exposuisset, exclamat Ariani occisum ab ATHANASIO Arsenium (quem eam ob rem longè illi amandaverant) proferuntque manum velut incantationibus ab eodem devotam. Sed in tempore amici innocentis reduxerant Arsenium. Is itaque in templum progressus, vitæque suæ luculentus ipse testis ostendit, se quidem utramque manum, ceterum accusationem nec caput, nec pedes habere. Exul nihilominus sàpè ATHANASIVS totum pànè orbem pererravit. Annos in cisternâ quâdam latitavit quinque, indeque in impios calamo egregiè pugnavit. Fugienti cùm hostis instaret, navim vertit, jamque obvius quærenti num ArSENIVM vidisset, respondit, non longè illum abesse. Ita rectâ Alexandriam rever-

K 4 sus,